

252

250

256

246

261

241

301

201

351

151

Ende

Anfang

inquam bona et optima, quae in foecundissimo illo sinu tuo  
ex arca paterni cordis coeleste granum suscipiens tantas ex  
superno semine martyrum segetes protulisti, et nihilominus ex  
omni reliquo fidelium genere fructum fertilis glebae tricesimum  
et sexagesimum et centesimum super omnem terram multi-  
pliciter procreasti. Unde et de magna multitudine dulcedinis  
tuae satiati et opulentissime saginati memoriam abundantiae,  
suavitatis tuae ubique eructant, qui te viderunt, et usque ad  
extremum terrae magnificentiam gloriae tuae loquuntur eis,  
qui non viderunt, et enarrant mirabilia, quae in te sunt.  
Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Sed jam ex his, quibus  
affluis, laetitiis, nos quoque gustaturi ab occidente advenimus,  
et ecce in aspectu tuo liquefactae sunt animae nostrae ex  
redundantia tuae dulcedinis. Oratione igitur finita reascendi-  
mus asinos prae gaudio oculos plenos lachrymis habentes et  
maxillas madentes. Sacerdotes ergo et religiosi simul adunati  
incepérunt cantare: Te Deum laudamus etc., submissa tamen  
et humili voce, ne ductores nostros offenderemus, quibus  
jubilus noster altus et manifestus forte displicuisse. Altis  
ergo vocibus mentis cantavimus, quia ingens altum et mag-  
num erat gaudium, quo exultavimus, nullis vocibus exterioribus  
explicabile. Hoc enim gaudium non ex passione erat, sed ex  
ratione, non ex praesentia rei concupiscibilis, sed rei ex  
charitate diligibilis: non erat gaudium dissolutionem faciens,  
sed maturitatem inducens, non excitat risum, sed movet ad  
singulum: non dissolvit corpus, sed concutit artus: non  
**(92 A)** dilatat os ad ridendum, sed constringit vultum ad  
flendum: non movet ad loquendum, sed ad silendum; non  
prodit in publicum, sed retrahit in angulum: non facit clamare,  
sed spiritu orare et psallere. Cum illo ergo ineffabili et dulci  
gaudio venimus super agrum fullonis, in quo stetit Rapsaces  
blasphemans Deum contra eos, qui stabant in muris Jerusa-  
lem, ut habetur 4. Regum. 18. et Esai. 36. In hoc agro juxta  
castrum, quod ibi est per Soldanum constructum, descendimus  
de asinis, eosque asinariis designavimus, et sumptis nostris  
sacculis bini et bini ordinate contra portam mercatorum vel  
piscium processimus, cum silentio et devotione junctis manibus  
ante pectora. Quidam autem de peregrinis ex devotione,

